Dissertatio medico-practica inauguralis, de insitione variolarum ... / Eruditorum examini submittit Joannes Van-Brugh Tennent.

Contributors

Tennent, John van Brugh, 1737-1770.
Hollebeek, Ewald, 1719-1796.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Theodorum Haak, 1764.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/eu9hyn2t

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS,

DE

INSITIONE VARIOLARUM,

QUAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

EWALDI HOLLEBEEK,

THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS
IN ACAD. LUGD. BAT. ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*
et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus et Privilegiis, ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit,

JOANNES VAN-BRUGH TENNENT, A.M.
NOV-CÆSARIENSIS AMERICANUS.

Ad diem 21 *Julii* M. DCC. LXIV. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK, 1764.

10

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30787191

VIRO

NOBILISSIMO

GULIELMO

COMITI

DE

STERLING,

LITTERARUM DISCIPLINA
ORNATISSIMO,
OMNI VIRTUTE AMICITIÆ
DIGNISSIMO,
HUMANITATE ATQUE BENEVOLENTIA
NOTISSIMO,
ET LOCO NATALI AMERICANO
SUMMO DECORI.

NEC

NEC NON

VIRO

REVERENDO,

SAMUELI FINLEY, D. D.

NOVÆ CÆSAREÆ AMERICENSIS

COLLEGII PRÆSIDI;

ET AD SUUM MUNUS EXPLENDUM MAXIME IDONEO,
VERBI DIVINI MINISTRO VIGILANTISSIMO,
OMNIQUE LITTERARUM GENERE
HUMANITATE BENEVOLENTIA PIETATE INSIGNI,
AMICORUM ET VIRORUM SUMMO.

SICUT ET

JOANNI REDMAN, M. D.

LITTERIS ET MORIBUS PRÆCLARO,
MEDICINÆ PERITISSIMO ET DILIGENTISSIMO,
QUIQUE PRIMIS MEDICINÆ SE ELEMENTIS IMBUIT.

Hancce Disputationem Inauguralem,
ea, qua par est, pietate
& reverentia,
D. D. D.
AUCTOR.

Ratiocinium plurimum laudo, quod ex effectibus initium ſumit, et conſequentias ex phænomenis proſequitur,

HIPPOCRAT. *Præcepta.*

Deſine quapropter novitate exterritus ipſa
Expuere ex animo rationem : ſed magis acri
Judicio perpende, & ſi tibi vera videtur,
Dede manus : aut, ſi, falſa eſt, accingere contra.

LUCRETIUS, *Lib.* 2.

PROŒMIUM.

NIHIL humano generi inimicus, nihil matribus per plures annos magis detestatum extiterat, quam VARIOLARUM *ferocitas; Tristis enim experientia multiplexque heu! docuit observatio, maximam mortalium partem, quos invaserat* hæc lues, *devictam periisse, alios vero turpissimas inde et formæ et vultus mutationes subiisse.*

Compertum erat demùm periculum magna ex parte evitari posse, artificiali Materiæ Variolosæ in sanum corpus insitione. *Cum ab hac, plura hominum millia morte vindicata, novimus.*

Ut vero votis adhuc magis hæc insitio responderet, complures corpora parandi methodi *tentabantur, per quas apta evaserunt, ad mitiorem morbum suscipiendum. Inter has* una *in* AMERICA BRIT-

TAN-

TANNORUM *inventa est, quæ, si post morbi insita semina adhibeatur, ut Ægri in sanitatem certiùs redirent, feliciter efficit. De hac sequenti sermone disserere aggrediar.*

Si vero ab aliorum in hac re sententiis, *licet præclarorum, dissentire videar: hoc minimè rerum novarum juvenili studio, aut argumentationis in concinnæ desiderio referendum cupio: à novæ enim præparationis salutari modo, ad hoc præcipue me inductum esse cogitari postulo.*

Eodem ordine orationem instituam, quo, ante & post insertionem, res sese excipiunt.

Hanc interim Dissertatiunculam, præclaris Almæ *hujus* Academiæ Professoribus *perscrutandam subjicio: me felicem! si ab iis vel exiguam laudis portionem adeptus fuero.*

DIS-

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS,

DE

INSITIONE VARIOLARUM.

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA ORIGINIS, ET PROGRESSUS INSITIONIS VARIOLARUM.

EX omnibus quæ aut legi, aut colligi à nobis potuerunt, circa *variolas inſerendi negotium*; primos ejus *inventores* indagare non potuimus; quamvis omnes ſcriptores *operationem minime vetuſtam eſſe*, conſentiunt.

PYLARNIUS & TIMONIUS Itali, (*a*) qui Medicinam CONSTANTINOPOLI exercebant, primi de *origine inſitionis variolarum*, ſcripſerunt, et CIRCASSIANOS et GEORGIENSES primos *operatores* fuiſſe, et *mulierem Græcam* CONSTANTINOPOLI (*b*), anno

(*a*) Vide Philoſoph. tranſact. N. 339. p. 72.

(*b*) Vide Philoſoph. tranſact. N. 347. p. 394.

anno post natum CHRISTUM 1673. initium fecisse, et ante 1701, sex millia corporum (c), variolis sua arte affecisse, affirmant.

Septuaginta ante hoc annis in BRITANNIÆ quadam parte, WALLIA dicta; *fricando* insertas fuisse variolas, vulgaris fama narrat (d).

Anno 1721. in BRITANNIA methodus variolas inserendi, primo sex hominibus capite damnatis, tentabatur.

Circa vel ante hoc tempus, BOSTONIÆ in AMERICA, D. MATHER Theologiæ doctoris hortatu, BOILSTON Medicus, trecentos fere, variolis cum minimo damno infecit.

Sub 1721. finem, et insecuti anni initium, in quibusdam nobilissimis liberis LONDINI, ejusdem rei periculum factum est; factum quoque haud multo post, in *Regia Stirpe* GEORGII SECUNDI feliciter; ex quo tempore auctum dignitate opus ad omnium generum homines faciliorem, quam si obscurius ejus exordium fuisset, aditum habuit.

Per magnam deinde EUROPÆ partem pervagata est, in GALLIA, SUEDIA, multis GERMANIÆ *regnis et electoratibus*; GENEVA, HELVETIORUM *pagis nonnullis*, postremo in ITALIA, et quibusdam hujusce *laudabilis reipublicæ civitatibus*, hæc operatio factitata est, quousque vero in hisce regionibus postea processerit, incertiores sumus.

Inde brevi tempore interposito, à BOSTONIA in AMERICA ad PHILADELPHIAM, ac aliquanto post in CAROLINAM migravit; hic, quia omnibus anni temporibus variolas inserendi necessitas erat, eo minus ad sententiam res processit.

Sed

(c) Vid. Dissertat. Med. Byzant. Variol. insition. Auct. le Duc.

(d) Vid. KIRKPATRICK, on Inoculation. p. 184.

Sed in AMERICÆ *Provinciis*, *Progressus inoculationis*, æque lentus, ac in EUROPA fuit, propter nonnulla incommoda, quæ *veterem methodum* preparandi sequebantur; donec sex circiter abbinc annis, ob inventam *novam methodum*, et mirum successum quo comitabatur, *ita inoculationis fama adjuta erat*, ut nunc in AMERICÆ pluribus locis receptum esse, et pluribus hominibus profuisse, quam in ullis terrarum orbis regionibus, affirmare non dubitarem.

CAPUT SECUNDUM.

QUALIS ELIGENDA SIT MATERIES.

IN eligenda materie tria spectanda sunt.

1. Variolarum natura, & hominum unde illa sumitur.
2. Tempora quibus sumere conveniat.
3. Sumendi methodus.

SECTIO I.

Variolarum natura, et Hominum unde illa sumitur.

MEAD, KIRKPATRICK, & GUIOT *Genevensis*, sicut, et Medicorum maximæ turbæ, *infantes* quam recentissime natos, quibus bona valetudine utentibus, *discretæ* sint *variolæ*, maximè *idoneos esse*, ex quibus *materia* desumatur, crediderunt.

GENEVENSIS, vero addidit, cavendum ab iis, qui *à majoribus*

ribus vitii aut *labis hæreditariæ*, aliquid acceperunt, hocce autem ex nimia ſolicitudine protulit, nam hujuſmodi, quid *tali labe* aut *vitio*, cum pure varioloſo, poſſit transferri, mihi non liquet.

Nec à tenera Ætate multum ſperandum eſſe, arbitror: ab omnibus enim *ætatibus acceptam*, et in alia corpora *materiem transfuſam*, ſimilia efficere vidi: adeoque eam, non pro hominum ætate provectiore, ac natura deteriori; ſed pro corporum habitu, in quæ immitenda eſt, illam pejorem variolarum ſpeciem efficere, multiplex experientia docuit.

Nec *materiæ naturam*, multum referre opinor, nam ex confluentium genere excepta, mitiſſimas optimaſque variolas effectas eſſe, ut experimentis FREWIN Medicus *Anglus* oſtendit [*e*], è diſcretis peſſimas et lethales variolis productas novi (*f*); ergo non à *materie injecta*, *effectus* expectandi ſunt; ſed à *natura* et *habitu corporum* in quæ materia immititur, aſſerere non dubito.

SECTIO II.

Quibus temporibus ſumenda ſit materies.

TEmpora, quibus ſumi *materiam* conveniat, *arbitrio curantis* permittenda ſunt; in *hoc*, nil ipſum movere debet, præterquam albiditas et bona concoctio puris; et hæc in aliis citius, in aliis ſerius, pro varia affectorum natura, evenit.

GUIOT

[*e*] See his letter to a friend on the ſucceſs of Inoculation.

(*f*) Et hæc quodam in juvene Americano, in Collegio Edinburgi circiter tri-

GUIOT ante memoratus ait, sese consuevisse expectare, dum in vultu, arescere incipiunt pustulæ; tum ex brachiis & cruribus, maturissimas ac altissimas elegisse, et ex iis *materiam* sumebat, quam in mox afficiendum corpus insinuabat.

SECTIO III.

De sumendi materiem methodo.

METHODUM sumendi *materiem* explanare, quæ plana omnibus et facilis est, superfluum judico. Per duas vel plures pustulas filum, dum satis puris absorptum sit, duci & reduci dixisse satis est.

Fili materies vel *seracea*, vel *linea*, vel *gossepia*, esse debet; *Hæc*, quæ bibula magis, eoque ad capiendum humorem aptior est, potius eligenda est.

Sic madefactum *filum*, si immediatìm in phiala inclusum esset, *putrescet*, quod forsitan totum consilium fustraret, ergo ad ignem sicari, tum in phiala arctè clausa reservari oportet.

Quamdiu vero reservari *pus sincerum*, et ad *inficiendum efficax* queat, incertum est: Ego menstruo spatio, postquam extractum est, rectè inficere observavi: GUIOT post quatuor menses,

bus annis ultimo Elapsis accidit; qui cum consilio in *commune methodo* optimè præparabat; et postea ex materia *discretarum Variolarum* inoculatus erat. Eruptio per totum corpus e confluentium genere apparuit, et circa tempus febris secundariæ, homo morte succubuit: Ut Cel: WHYTT mihi narravit.

menses, (g) KIRKPATRICK *prope sex annis exactis*, (h) hujus testimonium haud falaci experimento incumbit.

CAPUT TERTIUM.

QUIBUS ANNI TEMPESTATIBUS DARI VARIOLAS, ET CONTRA CONVENIAT.

TEmpestates anni, quibus dari variolæ debent, in variis regionibus variæ sunt, prout in aliis mitiores, in aliis severiores sunt, eas quæ plerumque vel idoneæ, vel inidoneæ sint, tantum memorabo.

SECTIO I.

De Vere et Autumno.

VEre et Autumno, fieri rectissimè variolas plerique consentiunt. Cœli tum media temperies, ardoribus æstivis, et frigoribus hibernis pariter caret. E duobus *Ver* mihi convenientior videtur, quia nulloæ stu, humores corporis dissoluti sunt, quæ solutio, aliquando [ni fallor] juncta morbo, geminatum periculum adfert. Nec terreri debemus, à *cutaniis eruptionibus* quibus vernis diebus potissimum externa corporis efflorescunt; et quibus sive humores *præteritis frigoribus* corpore conclusi, seu *rarefactio sanguinis*, seu *solidæ partes*, per

(g) Vid. Memoir. de l'Academ. Royal de Chirurg. Tom. 2.
(h) Vid. Kirkpat. on Inoculation, pag. 212.

per *frigus constrictæ*, laxiores nunc redditæ, causam dederunt, incertus sum; salutari naturæ consilio, ad purgandum corpus, non ad id onerandum, nasci manifestum est.

Ei proximus deinde *Autumnus* est, qui *fructuum refrigerantium* copiam fundit; *Hi* liberius assumpti, quodvis vel acre in bile, vel in humoribus ad putredinem vergens à caloribus æstivis ortam, forsitan adiment; et præter hoc corpus quod ab iisdem *caloribus* et magnis excretionibus debilitatum fuit, quod, iis plus minus imminutis reficitur; undè minus periculi nervoso morbo succubituri.

SECTIO. II.

De Æstate et Hyeme.

Cum *Æstate*, *Hyemem* variolis inimicum esse, omnes conveniunt *Æstas* periculum adfert, quia humores corporis in putredinem inducit, *Hyems*, quia in vitia inflammatoria proniores homines reddit; nam *frigus* externum corporis magnopere constringit, et extrinsecus perspirationem impedit: unde verisimile est, hunc morbum, qui Κρισιν suam extrinsecus eruptione, ac forsitan etiam perspiratione, peragit; vel aliqua, vel omni ex parte, exitu prohibitum iri; eoque majores turbas intus excitatum iri; et interiora ac nobiliora partium corporis, quæ res, toties exitialis est, humoris plus transiturum esse.

Neque *hanc rem*, in *Hyeme*, remediare possumus, quod nonnulli tentarunt à calore igneo in cubiculo facto, nam aër ab hac methodo rarefactus est, & respiratio mala efficitur;

tur; nec ulla ars ita aërem calefacere poteſt, ut genialibus verni, aut autumnalis ſolis radiis, parem calorem referat.

CAPUT QUARTUM.

QUIBUS ÆTATIBUS VARIOLARUM HUMOR INFUNDENDUS SIT.

A *Cunabulis* ad *extremam ſenectutem*, infuſo variolarum humore, bene curatos novi, adeo ut difficile in primis ſit, cuilibet ætati, quamlibet anteponere.

Illud ſpatium, quod inter *partum* et *dentitionem peractum*, intercedit; plerique malum judicant, quo ſolo malorum turba ii miſerrime affliguntur, quæ ſæpe letho, parvulos tradunt.

Quin & *aliud periculum* ſubeſt, ne novo humore teneros eorum nervos irritante, præter naturam *motibus Epilepticis* convellantur; quas *convulſiones* tam ſæpe eſſe perniciei obſervari, ut nihil huic tenellæ ætati infeſtum, extimeſcendum magis ducam. Equidem plurimos infantes, in ſecundo & tertio menſe, inoculatos vidi, et ſecundum artem ad ſanitatem reductos, quibus *convulſiones* vel præteriiſſent, vel qui omnino non habuiſſent.

Tertium vel quartum annum, quo rarò *convulſiones* eveniunt KIRPATRICK, aliique huic operi maxime opportunum, putant. Hinc ad trigeſimum vel, poſthunc quintum deinceps annum, inoculare tutum eſſe, pleriſque dicentibus, aſſentio. Idem poſthunc, vel etiam quadrageſimum annum, periculoſum fore clamitantibus, et artifices ab eo deterrere conantibus, diſſentio. Facillimum eſt theorias formare,

mare; quibus homines è quadragesimo, quinquagesimo, atque etiam sexagesimo anno, variolas ab insitione accipere, vetantur; sed semper ad facta et experimenta spectare debemus; quibus credens, à trigesimo quinto ad sexagesimum usque annum, nullo aut parvo cum periculo, dari variolas posse, affirmare non dubitavi.

Ex omnibus quos vidi aut novi, quibus, per hanc ætatem et etiam serius, variolæ communicatæ fuerunt, unus tantum interiit; (*i*) cujus interitum, non vi morbi, sed nervorum sub hujus finem debilitati, acceptum referrendum duco.

Quot homines, hoc vitæ spatio, vel occidisse, vel bene curatos esse noverunt, dinumerare nequeo: quæ experientia & amicorum testimonia mihi docuit; pauca tantum referam.

Bostoniæ BOYLSTON Medicus, inter quadragesimum et sexagesimum ætatis annum, *viginti ac duobus* variolas dedit, quorum *tres* perierunt; quod tamen tum factum est, in vetere præparandi methodo, cum adhuc rudis ars minimeque perfecta erat.

BARBADOENSIS quidem *adolescens*, patrem suum à primis unguibus, ad sexagesimum annum, *nigros ejus servos* variolis imbuisse, neque ex omnibus *quemquam* periisse, certiorem me fecit.

Egregius juvenis JACOBUS TAPSCOT, PHILADELPHICUS, supra quadragesimum annum, *amplius triginta*, quorum neque periit, neque laboravit quisquam, in eundem morbum se conjecisse, mihi demonstravit.

Generosus

(*i*) Qui Collegii Novi Cæsariensis Præses fuit.

Generosus amicus meus, NATHANIELUS SCUDDER, ex *Colonia* NOVA CÆSARIA, se, supra trigesimum ætatis annum, *septuaginta* inoculasse, unum tantum animam reddidisse, litteris narravit.

D. NEWEL, in *Colonia* supra dicta, à trigesimo anno ad septuagesimum, *ducentenos*, ab arte affecisse, neque quemquam obiisse, fidem fecit.

ALEXANDER GARDEN in CAROLINA Medicus, CEL. ROBETO WHYTT medicinæ in scholis Edinburgenis illustribus *Professori*, Collegii Regii Medicorum Præsidi, à secundo mense ad sexagesimum annum, *omnium ætatum homines*, nullo discrimine, parique felicitate, numero non expresso, sese curavisse, litteris patefecit.

Duo prope *octogesimum annum* agentes, ab assumptis variolis, nihil detrimenti accepisse, compertum habeo,

Postremo, *Pater meus maxime honorandus*, circa sexagesimum annum, variolas à necessitate accepit; cum tres vel quatuor pustulæ toto corpore, se ostendissent; vix sentito morbo, curante me, convaluit.

Plura adferre secundum nostram opinionem probabilia possem, nisi hæc sufficere judicarem. Certe *juniorum*, quibus longioris moræ in terris spes est, saluti providendum est; ita neque *seniorum* id vitæ, quod supereſt, projiciendum. Sibi cuique consultandum, curandumque ne bona à numine et natura tributa, propria stultitia corrumpat, neu falsis opinionibus abreptus perire, quam vivere et vitæ frui suavitate, malit. Expectare morbum casu se offerentem, periculosum; occurrere ei arte, salutare, omnes fatentur: Cujus artis beneficio *seniores*, quibus eam utilem fore posse demonstravi, privare, crudele et impietate plenum est. Ne-

que differendum remedium ad ſera vitæ tempora fore, neque ſi dilatum eſt, *quavis ætate* omittendum eſſe, et ut nulla, multoque minus *extrema quidem vitæ pars*, periculo variolarum ſponte venientium vacat, neceſſitati conſulendum contendo. Quod ſi mihi conceſſum eſt, *ut tutius in ſenectute, excitari hunc morbum poſſimus, quam plerique credunt*; omne quod volui, punctum pertuli.

CAPUT QUINTUM.

QUIBUS TEMPERIEBUS NEGARI VARIOLAS CONVENIAT.

TAm in *temperie* quam in *ætate* diſcrimina ſint, et ſequentes à ſcriptoribus, inidoniæ maxime morbo, reperiuntur.

1. *Biloſa* in qua, ut HOFFMAN & KIRKPATRICK credunt, ſanguis jam ſolutior eſt, eoque putridorum exanthematum plus eſt periculi.

2. Nec aptior *Leucophlegmatica*, qui habitus, ſanguinis motum langueſcere, ſanguinem attenuari, corpus reſolutum, et vitæ vim imminutam, indicat. Cum periculo autem, nervoſarum acceſſionum, aut etiam cum pernicie, novo morbo ſubjicientur ii, quorum vires jamjam vix ſufficiunt.

3. Alii ſunt, quos ſua *intemperantia*, proſpera valetudine utentes, parum eidem idoneos reddat; itaque omnes *inflammatorii* accipere contagionem, niſi habitu prius mutato, vetantur.

4. Vetantur quoque omnes, *acuto quovis morbo, jam ante*

laborantes; ſed eos qui *chronicis morbis* laborabant, aliquando, variolæ dicuntur liberaſſe; nec tam multa argumenta ſunt, (niſi per longum tempus æger maxime laborat,) quæ vetant homines in hoc habitu corporis, variolas per inſitionem accipere; MEAD et KIRKPATRICK huic opinioni aſſentiunt.

5. Quando *fœminæ infectæ ſunt*, tantum quantum fieri poteſt, intervallum à *menſium fluxu* diſtare debet; quia hic morbus ſuperveniens multum damni producere compertus fuit, uti MEAD & alii teſtantur.

6. Et quoque omnes *mulieres gravidæ*, omnimodo ab implantatione variolarum, vetantur.

CAPUT SEXTUM.

QUÆDAM OBSERVANDA, IN INSITIONE VARIOLARUM.

SECTIO I.

De Operatione Tranſplantationis variolarum.

EX inventa *methodo immittendi humorum*, rationes variæ tentatæ, et (ut mihi videtur,) multo in melius mutatæ ſunt: nam loco ſex vel ſeptem vulnerum GRÆCÆ MULIERIS conſuetudine acu inflictarum; vel TIMONII et PYLARNII more, utroque brachio ac crure, magnis pertranſverſum factis vulneribus; hoc tempore, alterum tantum brachium, idque

ple-

rumque ſiniſtrum, ubi muſculus deltoideus inſeritur; leniter in longitudinem ita ſcalpere, ut ad membranam adipoſam non penetretur, cutis ſola diſcindatur, et ut vulnus non ſit pollicis dimidio longum, in EUROPA et in AMERICA mos eſt.

SECTIO II.

Quantum humoris immitti debeat.

APerta cute, filique materie impregnati, CAP. II. *Sect.* II. parva portio, in vulnus inſerta eſt, et parvulam particulam ratione illius, quæ MAITLAND (k) in *tres magnas portiones* diviſa, ex linteo carpto, materia imbutas, applicat; ſed tamen æque prodeſſe reperitur: nec dubium eſt, quin *multo minor* quam nunc à nobis præſcripta eſt, ad morbum communicandum, ſatis eſſet: Sed quoniam nullum morbi levamen à *parvitate portiunculæ materiei*, expectaremus, melius erit mediam viam ſequi.

Filum quod inſinuatum eſt; Emplaſtris ex diapalma vulneri applicatis, tum panniculi plicis huic impoſitis, poſtremo faſciis brachio circumdatis, firmandum eſt.

SEC-

(k) Qui primam operationem inſitionis variolarum in *Britannia* exercuit.

SECTIO III.

Quamdiu in vulnere continetur filum, ut morbum excitet.

Fere omnes *operatores* in retentione *fili* diſſentiunt, aliis atque aliis temporibus utentes; nam aliis quadraginta et octo horas, aliis viginti quatuor, aliis tantum hujuſce temporis dimidium ſpatium, *filum* intus ſervantibus, omne temporum diſcrimen, ſatis efficax ad morbum dare, invenitur: Nam etiam *ſcalpellus*, in humore variolarum capiendo uſurpatus, in venæ ſectione contagium communicare compertus fuit, et hoc ſolummodo ex tantilla portiuncula materiei quæ ad latera ſcalpelli hæſit, (*l*) quod in *America* accidiſſe ſemel didici.

Unde ſcire poſſumus per brevius tempus *filum* retineri poſſe, et morbi contagium tamen dari, quam pro communi conſuetudine; quæ ſcientia quoniam nullius eſt utilitatis (præterquam quod ſi forte, faſciæ et *filum* excideruntur, *operatori* tamen de effectu, metum omnem demeret,) omittere licet; et *filum* pro uniuſcujuſque arbitrio, detinendum, videtur.

SEC.

(*l*) Vid. KIRKPT. on Inoculation p. 46.

SECTIO IV.

Accepti contagii notæ.

Si tertio vel quarto die *rubedo*, *pruritus*, cum *glandium axillæ dolore*, *ægritudine*, *profluvio* et *inflammatione vulneris labiorum increſcente*, appareant; morbum adeſſe ita manifeſtum eſt, ut hæc ſigna in aliis citius, in aliis ſerius, ſe oſtendentia, illi nunquam non præcedere, compertum habeam.

CAPUT SEPTIMUM.

MEMHODUS QUA PRÆPARATUR PRO VARIOLIS IN AMERICA.

ANtequam hanc AMERICANAM *præparandi methodum*, narramus, non à re alienum erit, ejus *originem* et *incrementum*, breviter attigiſſe.

SEC-

SECTIO I.

Methodi origo.

ANNO 1756, (nisi memoria me fallit,) *Methodus præparandi* (de qua postea tractabimus) in *Provincia* NOVI-EBORACI à BOERHAAVII *Aphorismis* orta est, (*m*) qui *e Mercario et stibio confectum, quod vel occurreret, vel varioloſæ febris vim supprimeret, aliquid inveniri posse putavit.* Tum quoque HILLERY (*n*) qui, eum *mercurium*, nascituris natura variolis, utilem observavit, vox et sententia rem adjuvat.

Quis vero, ut in usum in AMERICA deduceretur, monuit, incertum est: Deduxit primus ante omnes, MURISON quidam, (ut dictum mihi est;) Is semel atque iterum domi in Provincia NOVI EBORACI, nemine læso, rei periculum fecisset; brevi post ad oppidum novæ Cæsariæ vocatus, magnam multitudinem, suo more, optimo cum successu insecit.

Hunc deinde excepit alius nomine BARNET, ELIZIBETHÆ NOVÆ CÆSARIÆ provinciæ oppidi; *is*, ingentem ac pene incredibilem numerum oppidanorum, et circumcolentium, longe lateque agrestium, nulla ætatis, habitusve ratione habita, minores, majores natu, liberos, parentes, pari successu, felici et sperato eventu inoculavit.

Post

(*m*) Vid. BOERHAAVE de cognoscendis et curand. morb. aph. 1390, 91, 92.
(*n*) Vid. HILLERY on the small pox.

Post quod, *eodem*, *aliisque* arcanum suum vendentibus, aut si cui ultro indicassent, ne pascifcentibus palam faceret, neve intra certos fines, curandi causa, irrumperet; re per plures divulgata, *cum Medici duo*, ad cognitionem ejus pervenissent, ac in lucem edidissent; veram preparandi methodum palam tandem fecerunt; cumque, qui antiquam adhuc methodum insisterunt, incredibilem horum, per multa corporum millia successum viderunt, veritate victi, suam relinquere, et hanc, immitare coeperunt.

Ita ut hoc tempore à CAROLINIS ad NOVUM EBORACUM, circiter septingenta millia passuum, per culta loca, ac hominum copiam, *vetus methodus* exoleverit; et *nova*, ubique recepta sit.

Cujus *rei utilitas* ita ex iis quæ dicta sunt, apparet; ut non pro animi figmento, sed vero invento, saluti hominum amico, et memoria digno, habenda sit.

SECTIO II.

AMERICANA *plus uno anno natos præparandi methodus.*

Methodus quam in hac Dissertatione enarrare cupio, eadem est quam *medicorum* supra memoratorum *alter* tenebat, et in lucem ediderat, ac per Provinciam PENSILVANIENSEM et huic proximam NOVI-CÆSARIENSEM ita collitur, ut vix quidquam mutetur.

Et quamvis *medicamentorum compositiones* elegantissimæ

non ſunt, tamen utiliſſimæ ante Eruptionem habendæ. *Quæ*, ut præcipiuntur primum enumerabo; dein methodum dandi exponam; poſtremo quæ non elegantes, quæque utiles ſint, memorabo.

Medicamenta præcepta hæc ſunt.

℞. *Pulveris Jallapi, Scammonii.*
Stibii Nitrati, et Cremoris Tartari, partes æquales *in Bolum purgantem cum ſyrupo albo, formentur.*

℞. *Calomel.* partes duas.
Sulphuris aurati antimonialis, partem unam:
Cum Gummi Arabici vel Tragacanthi mucilagine, F. maſſa. *In Pilulas redigenda;* Quas, diſcriminis cauſa, *Mercuriales* dicam.

℞. *Stibii Nitrati, Cremoris Tartari.*
Salis Polychreſtii, Florum Sulphuris, ſingulorum, partes æquales M. F. *Bolus* S. A. Quem *Pulverem refrigerantem* nomino.

Pridie inſertionis variolarum, *ſcrupuli duo*, boli purgantis, mercurii vero dulcis, *grana quatuor*, adultis dantur; aliis prout ætate minores ſint, minus. Nocte inſertionem ſecuta, Pilula Mercurialis *granorum decem* provectis ætate, puero annum nato, *duorum*, cæteris pro ætate, capiatur; ac duabus præter hanc noctibus continuatis, repetatur.

Mane diei tertiam noctem inſecuti, iterum *alvus purge-*

tur;

tur, utraque deinde nocte pilula interponatur. Post quod septimo die, alvus *tertio* moveatur.

Videndumque est, ut *medicamentorum*, quæ secundo ac tertio alvi purgandæ causæ sumitur, potio minus ad id efficax sit.

Quotidieque mane præter eos dies, quibus æger purgatur, ne insitionis quidem die excepto, ad efflorescendi tempus; *Medicina refrigerans* supra memorata, pro variis ætatibus, varia portione, adhibetur.

Qui Plethorici sunt, et ad juvenilem pervenerunt ætatem, vel ante insitionem, vel instante die efflorescentiæ et febris, [qui dies fere octavus est,] *iis solis* sanguis mitti debet.

A tempore inserendi ad id quo febris et efflorenscentia incipiunt, ad *victum* attendendum est; *cibus* illius qui adolescit, mediocris naturæ sit; et maxime ex *herbaceo* vel *farinaceo genere*; ab iis *vinis* aut *liquoribus* qui *spirituosi* dicuntur, et ab omnibus *lautioribus altiusque conditis cibis* abstineatur.

Potus refrigerans acescens et alvum solvens sit, qualis est, *Tartari serum*, *acidum Tamarindorum*, *Limoniorum*, et *maturi* cujusque *fructus*, usus liberior.

SECTIO III.

De iis qui primum annum nondum complêrunt.

Cum observatione constitisset, *pilulas* ante memoratas, vehementius turbare infantes, qui primum nondum complessent annum, *mitiora remedia* necessario danda fuerunt

℞. *Pulverise Chelis Cancrorum*, *Nitri Stibiati*, utriusque partes duas. *Calomel*, *Cinnaberis antimonialis*, singulorum partem unam, *rite in mortario mista*, *pro usu serventur.*

Ex quibus *infanti* sex vel octo mensium, *grana decem*; unius vel duorum mensium, tantum *quatuor* dentur, iisdemque diebus, quibus pilulæ mercuriales provectoris ætatis hominibus propinatæ fuere, iisdem quoque temporis intervallis, quibus alvus, illorum, purgatur, *horum*, quoque *Rhabarbari* et *Calomelanos* pro ætate portione ~~con~~solvenda est.

Infantum alimentum sit potissimum ex *lacteo genere*, quod ut quam purissimum sit, nutricis victus, iisdem pæne legibus, ac si ipsa inficienda esset, contineri debet: maximeque omnis herbarum ac olerum natura, omniaque acida fugienda sunt, quippe quæ torminibus et purgationibus *parvulos* ex naturo proclives, procliviores etiam reddunt.

In secundo vel quoque tertio anno, copiosiorem usum herbarum, ex regno vegetabili, ut observatione constat, tam libere exhibere non oportet.

Sanguis in *hâc ætate*, raro nisi cum præter consuetudinem factum aliquid sit, mittendus est.

SECTIO IV.

Post eruptionem curatio.

Cum febris *eruptionem* comitans advenire, et ægrotare homo incipit, quod fere 7°. 8°. et 9°. die consuevit, nihil præter *victus* curationem fere agendum est: *Is* vero ejus

ejus naturæ esse debet, qui morbis acutis et inflamatoriis idoneus est: cibi ante dicti ut idonei sunt, dari nunc quoque debent.

Si hoc tempore, vel paulo post, brachium multum forte inflammatur, aut ad incisum locum indurescit, quod in pueritia sæpissime fit, *Cataplasmata Emollientia* adhiberi, et justis temporis intervallis mutari oportet, donec illa incommoda levata fuerint.

Infantes, circa efflorescendi tempus, motibus Epilepticis sæpe convelluntur, quod nonnunquam exitiale est, ac sæpius, quam ipse morbus, necasse novi. Nihil melius esse potest, *Potionibus Cardiacis*, *Clysteribus* immissis, *Cataplasmatibus Stimulantibus*, pedibus admotis, et horum cum *Calida Aqua* lavatione: *Emplastra Vesicantia* cervicibus, aut extremis artubus adjici; & manentibus motibus, *Venam Secari*, aut *Laudanum Liquidum*, dari oportet; quorum *illud*, sine *hoc*, sæpe satis erit. Nec *Opium infantibus*, æque, ac multi putaverunt, periculosum existimo; quia aliis remediis frustra adhibitis, *illud* ad sententiam procedere observari. Convulsiones enim sæpe ab irritatis nervis, non a materiæ varioloſæ vi, corpus onerante, oriri fatendum est; quam irritationem nihil mulcere melius, quam *Opium*, valet. Fierique potest, ut eadem in humoribus cerebrum ex pleno habitu prementibus oriantur: quod si fiat, sanguis, ut ante præceptum est, duplici de causa recte mittatur.

Hoc morbi tempore, dura alvus, minime manere debet.

Si forte quem acrior morbus premit, quod ne singulis quidem

dem è Centenis hoc modo preparatis evenit; is pari ratione curandus eſt, ac in variolis ultro venientibus.

Exſiccatis jam puſtulis, bis terve idoneis temporis intervallis, *alvus purganda eſt*, et mittendus æger ſanatus.

CAPUT OCTAVUM.

QUÆDAM DE MEDICAMENTIS OBSERVATIONES.

De Medicamentis, poſt injecta morbi ſemina, hominem parandi cauſa, datis quædam obſervata proponam, tum quid parum elegans ſit; quid in corpore ſingula agunt, quo conſilio dentur, monſtrare conabor.

SECTIO I.

De Medicamento purgante.

Ex *Medicamento purgante*, quæ alvum purgandi cauſa dari jubentur, *Scammonium* rejiciendum, pro quo *Jallapii* æqua portio ſupponenda migi videtur. Illud δραστικον, ut græci dicunt, adeo irritantis naturæ eſt, ut frequentiſſime ſeverius agat. Nec quicquid in *eodem* virtutis eſt, quod non omnibus purgantibus commune novi; præterquam quod, pauca aut nonnulla virtute alvum laxandi tam copioſa, prædita ſunt.

Sal Glauberi, ſi gratiori guſtatu et pariter facili datu eſſet, quam alio quodam, par et melius, (ni fallor) remedium præſtaret. Si quidem et leniter magis, et ſatis tamen ad rem agit;

agit ; etenim ut primæ viæ detergantur , et ne ad fauces *mercurii* actio convertetur , purgandique causa , adhibetur.

SECTIO II.

De Pilulis Mercurialibus.

Pilularum mercurialium , de quibus supra dictum est , actio nunc exponenda est.

Cujus utique vera ratio redditu difficilis est , quoniam notitia actionis , *mercurii* , qui in hoc medicamento præcipuus est, conjecturis et observatione , magna ex parte innititur.

MAGNUS BOERHAAVIUS , *è Mercurio* et *Antimonio* , *acri suâ naturâ privatis* , et *ad magnam penetrabilitatem redactis* , confici aliquid posse , ea quæ morbus efficiat , prohibiturum putavit ; Et id leniter sanguinem diluentibus et solventibus initio datis , solitis viis causam pustularum educturis, eruptionem prohibituris , et suppurationi occursuris , efficere proposuit. Et quanquam nihil huic consilio , omnibus rebus , responsurum adhuc inventum est , tamen hujus *mecamenti* ea natura est , quæ omnium , quæ inventum iri speranda sunt , ad id , quod ille voluit , proxime accedit. Quod si inventum et perfectum esset , mirabilia præstiturum fuisse, vix dubium est. Verum quod nullo mihi experimento certiori probatum est , nolo defendere ; neque *nostrum remedium* tale esse , quale ille voluit , sed tantummodo *nomen* ejus , præ se ferre opinor.

Ut

Ut hoc ſit, certiſſima res eſt, dato *hoc* et aliis ante dictis medicamentis, ſanguinem et cæteros humores, ita tenues reddi, et quidquid nociturum variolis, ita corrigi, aut ex corpore ſolitis ductibus excretoriis, ejici, ut raro affecti laborent, aut gravius patiantur.

Eadem *medicina*, quicquid inflammationis eſt ne altius increſcat, et morbum puſtularum, multitudine et natura periculoſiorem redigat, facit. Ad hoc quanquam idem, quod BOERHAVIANA viſa eſt, non agit, tamen cujusvis curatoris votis, ita reſpondet, ut felici ſupra opinionem eventu admirationem quoque moveat.

Si omnibus ætatibus, omnibus fere corporum generibus, temere, nec ullo, ab ignaris artis, conſilio data fuit; quid boni, quantumque allatura eſſe, ſperandum eſt, ſi prudente et ſagaci mente præditi viri *eam* miniſtraturi ſunt; quæ certe diligenti obſervatione digna est.

Effectubus non verbis, de medicamenti alicujus actione, judicandum eſt; quibus ſi firmatæ fuerint, certiores æquioresque opiniones erunt, certe jucundiores et vero propriores, his conjecturis, quæ in animi imaginibus, et ſubtilibus nimis rationibus, poſitæ ſunt.

SEC-

SECTIO III.

De Bolo Refrigerante.

Bolus mihi elegantior futurus esse videtur, si vel *Polychresto*, vel *Sibio Nitrato*, quæ paris naturæ et proprietatum sunt (*o*) rejecto: Quorum *Stibium Nitratum*, quæ præstantior medicina est, saltem *purius* plerumque conficitur, retinendum, ac duplicem ejusdem portionem, dandam arbitror.

Nam quod potissimum per hunc *Bolum* proponimus, est excretiones promovere, et alvum laxiorem servare, et illa quævis *Salia Neutra*, quam optime facere possunt, siquidem, hæc omnia, eandem actionem semper fere habent; ergo in loco triplicis medicinæ purgantis duplicem ante eruptione sufficere, opinor; nam frequentior purgandi usus, homini magis humorum jactura debilitato, quam habitu in melius restituto, nocet: ad hæc acriores justo humores rediguntur, ut in omnibus *Disarrhœis*, et si quando *temere* et *frequentius* alvus purgando solliciatur, accidit.

Primum igitur canalem alimentarium purgasse, satis est; quo melius et citius medicamenta sanguine absorbeantur; tum, *Mercurii* quicquid ibidem latitat: id ante eruptivam febrem, altera purgatione auferendum, ne *una* cum *eo*, quod in corpore inest, os male afficiat, et molestias parum, ut experti sumus, utiles præbeat; sive *eadem* vis infra descendens ad intestina, convertitur, et accersenda mala *Diarrhœas* atque etiam *inflammationes*, quod alias factum a *Mercurio*, observatum est, excitat. *SEC-*

(o) Cum utraque, nihilo magis quam *Tartarus Variolatus* sint.

SECTIO IV.

De pulvere pro Infantibus.

Medicamentum Infantibus dari debet. *Syrrupo communi* miſtum, potius quam in forma *Boli*, quæ quanquam elegantior ſit, ſumere tamen nequeunt.

Huic medicamento (uti fit, in præſcriptione præcedenti) nonnulli adjicere *Pulverem Teſtaceum*, voluerunt; cujus rei rationem nullam video: niſi crediderunt *acidum abſorbendo agere*, à reliquis medicamentis ſejunctum (quamvis *eodem tempore datum*,) juvenili ſubjecto prodeſſe poſſe; quia in aciditates procliviores ſunt: Etenim *ſolus* hoc efficere poteſt, ſed *Mercurio* adjunctus, medicamentum totum corrumpit, et parum elegans reddit: Nam *Terra Abſorptrice*, acidum in *Calomel* muriaticum validius, quam idem hoc acidum ad ſe *Mercurium* trahit; itaque *Mercurius* præcipitatus eſt; *fortaſſe* vel in *crudi rurſus naturam redit*, vel in *calcem formatur*, omnibus vel magna ex parte, quibus antea præditus erat, virtutibus perditis; nec, quod vel *crudo mercurio* vel *calci*, commune eſt amplius retinens. Unde, cum medicamento toti noceant, hujusmodi rejicienda eſſe, judico.

Ad hoc *Antimoniale*, ſicut et *Nativum Cinnaberum*, adeo iners eſt, ut præſertim hic, ubi tantilla portione datur, vix ullam facultatem poſſideat. Utque in pilulis, ita hic quoque, præcipua medicina *Mercurius* eſt. Quam igitur cum *Neutro ſale* memorato, vel ſolum, vel adjecto (forſitan *ſacchari albi* paululo) dandum cenſeo; quo magis quod ſic contritum

eſt;

eſt, æquale eſt, facilius commiſcetur, et ita attenuatur, ne quæ ejus pars, pueri linguæ, inter aſſumendum, adhæreſcat, et ut minus commode aſſumatur, faciat.

Hoc *Medicamentum*, pariter pueris leniores facit variolas, ac majoribus natu, *pilulæ* antea præceptæ. Sed agendi ratio diverſa eſt, ſcilicet *ſaliva* et *urina illis* movetur, et *alvus cietur; perſpiratione* ea ætate raro memorabilius ſeſe oſtendente.

CAPUT NONUM.

QUÆDAM OBSERVATIONES GENERALES, DE PRÆPARANDI RATIONE, ET SUCCESSUS INOCULATIONIS IN AMERICA.

Hæc *Præparandi ratio* ut à monitis BOERHAVIANIS orta, ars et ſagacitas viri, novum argumentum, accedit. Et præcipue quando invenimus, *eandem*, non modo tutam eſſe, ſed cuivis alii curandi methodum præſtantiorem, ut millies periculum factum oſtendit.

Multæ et diverſæ ſunt *methodi præparationis*, ab omnibus, qui de *inoculatione* ſcripſerunt, propoſitæ. *Aliis certo victu* circiter quadraginta dies, paucis aut nullis medicamentis datis, poſt inficiendos continentibus; aliis (ut LOBB *Æthiops*) *Mineral*; aliis (UT CHEINE) *Cinnaberum Antimoniale* præcipientibus; aliis (UT HUXHAM et KIRKPATRICK) ante infuſum humorem craſſioribus, hominibus; paucas *Calomelani* potiones exhibentibus: nullis vero, quos novi, quicquam poſt moventibus, ac ne commoveatur, ut prædicant, corpus, et major puſtularum vis cum periculo erumpat, etiam conſuetas purgationes, (*niſi Mannam inertem*) vetantibus. Quibus cum longioris diſputationis contentionem ſequi, inſtituta hujus ſermonis brevitas vetet; contra reſpondeo, nihil his moleſtiis, ſimile

mile hanc rationem efficere, plurima experimenta, probare.

Certe et Praxi Medicinæ, et rationi convenientius eſt, contagio ſanguine jam accepto, et hoc paulatim contaminari pergente, *Medicamenta*, quam ſano corpore, dare. Nonne *Medicamenta*, naturam adjuvandi et morbos ſuperandi cauſa dantur? Quorum neutrum, niſi corporibus male affectis, efficere poſſunt. Et quamvis ægrum malo morbo jam proximo, aliquis modeſtiſſime et abſtinentiſſime vixiſſe, didicerit, num auxilium *prudens medicus* denegat; naturæ liberam agendi, quicquid vellet, poteſtatem relinquendam, et ne quid in utramvis partem nimis fiat, neque citandam neque tardandam, tanquam numquam erraret, credens? Et non potius morbi ſive præſentem, ſeu jamjam futuram, vim regendam, levandam, noviſſimè tollendam judicat? Nonne multo facilius eſt cujusvis morbi rabiei occurrere, aut violentiæ inter initia moderari, quam admodum, quam longe exceſſerit, reducere conari?

Hoc conſilio infecto homini *medicamenta damus*, non ut KIRKPATRICK ait, *inanem facere, quod jam fecerimus*; ſed ut in dies increſcens fermentatio (ſi ex fermentatione oritur ut nonnulli credunt,) intra modum contineatur. Effloreſcentiam et inflammationem varioloſam, ex arteriarum capillarium irritatione obſtructione et forſitan corroſione à materia morboſa, oriri, et pro horum magnitudine, illa magis aut minus periculoſa fore; haud absque ratione credidimus. Itaque victu acceſſente, morbi intus latentis vi crescenti, moderandum, et *ſolidas* partes pariter ac *fluidas* ad eum recipiendum, et è corpore ejiciendum, præparandos ducimus. Nec dubium eſt quin *illarum*, in *hos* actio, pro fermentationis irritationis et materiæ morboſæ acri natura ſeſe habent. Quæ

actio

actio quando modica est, (ut ante Eruptionem) facilius, quam omni modo superato, regi potest. Hac via procedendentes *Americenses*, felicem morbi curationem, et dimidio spatii, quo *Europæi* peragunt.

Eadm *medicamenta* data fuisse, iis novi, qui propter exactam religionem arte morbum accipere nolebant, naturali modo variolas expectare eligentes, et antequam morbus se ostendit, medicameniis datis, variolas mitissimas fuisse intellexi. Itaque ad JOHANNEM REDMAN *Philadelphia* medicum, in morbo sive natura, seu arte suscitato versatum, scripsi; Cujus rescriptarum litterarum hæc sententia est. » *Plurimos se* » *vidisse, quibus cum ampla medicamentorum portio, statim ante* » *accessionem morbi naturalis data esset, brevissimus hic & mitissi-* » *mus fuisset: idque iis domibus, per quas acerrime antea contagio* » *grassata fuerat, accidisse; et in tribus infantibus propinquissimi sibi* » *viri, patrio prius more preparatis, idem insigniter factum esse.* »

Nec variolarum insitionem bene ex toto procedere, ob inserendi rationem duco: Quanquam enim plurimum hoc facit, tamen præparationem ante memoratam, multum quoque adjuvare fatendum est. In AMERICA omnium ætatum et corpoporum homines variolis artis *imperitissimi*, inficiunt, et detrimenti multo minus, quam in EUROPA accipitur, ut in sequentibus paginis, monstrare conabor.

Optimorum auctorum fide confisus, *propriisque observationibus*, iisque diligentissimis instructus, *quadringenorum et quadraginta Americana methodo præparatorum*, non amplius *singulos* perimi, certissimus sum, ut in sequenti tabula manifestum est.

E *Centenis Anglicano more Præparatis*, *binos* occidere solere, quamvis infra *certam ætatem*, et *supra trigesimum quintum*, vel *quadragesimum annum* nemine contagio communicata fuit, suspico.

LON-

LONDINI in una domo *quatuor* extinctos, ex quatuor inoculatis, novi. Prope pari casu, in *Agro Gallovidiesi Hibernico*, accidit; *tres liberos* Medici morte abreptos *Juvenis* quidam *Hibernicus*, mihi narravit.

EDINBURGI sicut et per reliquum Scotorum Regnum è septuaginta *singulos* interire, quam diligentissime inito calculo, Cl. MONRO FILIUS *Anatomiæ Professor* posuit.

In EUROPA idoneos maxime morbo *sagacissimis viris* eligentibus: In AMERICA *rudibus artis*, universos nullo discrimine operationi suæ subjicientibus; neque tamen *illorum*, cum *horum* successus conferendus est. Qui vero utramque methodum experti sunt, et maxime salutarem, diligenti comparatione instituta, ei quæ minus ad salutem est, prætulerunt; eorum optimum judicium, certe melius, quam illorum, qui alterum tantum secuti sunt, habendum est.

Quibus experimentis, fidem habentes *Septentrionalis Americani Medici*, vetere methodo relicta, *novæ*, per totum fere quantum novi, regionis latitudinem, sese addixerunt.

Quantum vero singuli curando processerint, qualem eventum sortiti sint, cum dicere pro certo nequeam; quid paucis usu venerit, quem numerum, quemque curarint, breviter attingam.

JACOBUS TAPSCOT *Philadelphus*, è mille quos infecerat, *duos* tantum morbi vi periisse, mihi narravit.

JOHANNES REDMAN, *ibidem incola*, ex trecentis et amplius suæ curæ creditis, *ne unum* quidem interiisse, nisi memoria me fallit, fidem fecit.

E CAROLINA, ALEXANDER GARDEN, quingentorum, *neminem* LIONELUS CHALMERS, trecentorum, *unum* tantum morbo nectum esse, CEL. WHYTT scripserunt.

NATHA-

NATHANIELUS SCUDDER qui Medicinam agit in Provincia NOVA CÆSARIA, ad me, ſucceſſus *quatuor Medicorum*, cum *ſuo* ſcripſit, quod in ſequenti tabula inſerimus, et quoque ſucceſſus omnium quos in hac *Theſi* antea citavi, monſtrabimus.

TABULA,

hujus Methodi ſucceſſum monſtrans, qua *ætas Juniorum* et *Seniorum*, à ſingulo medico *inoculatorum*, inſeritur.

		INOCULAT.	ÆTAT. MENS.	ad	ANN.	MORT.
EX PROVINCIA PENSILVANIA.	*Jacobus Tapſcot.*	1000	2 —	—	80	2
	Johannes Redman.	300	2 —	—	30	0
	Malachius Treat.	68	—	—	—	0
EX CAROLINA.	*Alexander Garden.*	500	2 —	—	60	0
	Lionelus Chalmers.	300	2 —	—	—	1
EX NOVA CÆSARIA.	*Nathanielus Scudder.*	386	3 —	—	55	1
	— *Barnet.*	4000	2 —	—	70	10
	— *Newel.*	1135	8 *Dies*	—	72	2
	— *Bloomfield.*	614	—	—	67	3
	— *Stites.*	84	—	—	—	0
		8387				19

Ex

Ex *Tabula* ſuprapoſita è quadringenis et quadraginta, amplius ſingulos hoc modo præparatos intercidiſſe patet; quamvis quidem *Americanus Medicus*, quadrienio abhinc, enumerationem conficit, qua *ſeptingenorum ſingulorum tantum jacturam fieri*, oſtendit. Sed non eſt meum, contra veritatem hujus *viri* contendere, præterquam quod in præcedenti Tabula ſucceſſus non tam magnus appareat; ſed ſi tam felix fueram, ut pluribus teſtimoniis rem ſtabilirem, certior eſſet mihi concluſio de numero ſucceſſorum, quam in præcedente caſu.

Hanc Methodum, et quevis ad eam pertinet res, quantum optimis teſtimoniis, ac propriis obſervationibus inſtructus potui, fideliter chartæ commiſi: Quas, iis ſubinde Theoriis illuſtrare, quæ mihi probabiles videbantur, conatus fui: Quod VESTRO OPTIMO JUDICIO CLARISSIMI VIRI, ſubmitto.

F I N I S.